1615

ZACHARIAS HERMANNUS
SACROS. THEOLOG. DOCTOR, PASTOR ET INSPECTOR ECCLESIARUM ET SCHOLARUM VRATISLAVIENSIUM.

AUDITORIBUS SALUTEM.

GLadiatori annoso qvondam fixis armis ad valvas Herculis in agrum secedere licebat, ne populi misericordiam, qvam sæpè jam esset in arenâ consecutus, denuò efflagitare cogeretur. Illis certè, qvi tot annos in sacro studiorum certamine versati, toties depugnassent, toties non modò populi veniam, sed etiam benevolentiam obtinuissent, idem tranqvillioris vitæ recessus rectiùs conceditur, ut paulisper animus exillo continuorum laborum strepitu recreetur, & altiùs respiret. Ego verò sub alarum divinarum præsidio in acie adhuc militans, in arenam rursus descendo, & arma hyemali rubigine nonnihil arrosa capio, amore Christi divino inflammatus, & stimulis auditorum excitatus: Atq; hæc sit in vestris etiam animis infixa cura sempiterna, ut qvæcunq; in aliis non solùm probantur, verum etiam laudantur, hæc in omni vitâ virtutis studio reipsa præstetis. Periculum enim est, nisi advigilemus, nisi adnitamur, nisi omnes ætatis industriæq; nervos contendamus, nisi Christus OPT. MAX. nos respiciat (respiciet autem pro suâ bonitate semper) Ecclesiamq; suam in medio inimicorum conservet, ne brevi omnis Christiana religio ex hominum animis memoriâq; deleatur. Oro itaq; vos per illam in nos indulgentiam Dei singularem, tàm multis beneficiis declaratam, ut omnia studia, omnes conatus, omnem industriam, operam, laborem, diligentiam ad sanitatem mentis, ad Ecclesiam erigendam, ad Rempublicam Christianam ex tantis miseriis excitandam conferamus: ut ubi honestissimis in laboribus vitam hanc, qvæ brevis est, consumserimus, in clarissimo illo beatorum domicilio, Dei conspectu perpetuo fruamur, cui soli summa laus debetur in omnem æternitatem. Capitis sexti epistolæ ad Romanos explicationem, Deo juvante, die Jovis horâ nonâ inchoabo. P. P. Anno Salutis 1616. Dominica in Albis.

84008/12

GYMNASII ELISABETHANI,
QVOD EST WRATISLAVIÆ, RECTOR
& Professor publicus, cæterarumq; Scholarum, qvæ ibidem, Inspector
M. THOMAS SAGITTARIUS
L. S. P. D.

SCIPIO, ut autor est Valerius Maximus, cùm aliqvando Hannibalis, hostis sui infensissimi, speculatores in castris suis deprehendisset, tantum abfuit, ut proditionis ullius eos reos ageret, vel pœna ulla afficeret, ut potius illos circa omnes manipulos diligentissimè deduci jusserit, interrogatosq; an satis ea, qvæ speculari vellent, considerassent, prandio ipsis dato, pastisq; eorum jumentis, incolumes & indemnes omnes dimiserit. Optimè profectò Scipio. Bonorum enim est, ita domi suæ, imo qvocunq; in angulo aut loco vitam instituere suam, ut omnes inspicere & introspicere possint, qvomodo ibi vivatur, qvomodo distributæ operæ, qvomodo locata castra, qvomodo instructa acies, qvomodo disciplina exerceatur, neq; ipsi, qvamvis Momi aut hostes juratissimi, qvod dignè reprehendere qveant, inveniant. Hisce Scipionis etiam vestigiis rectissimè insistunt illi, qvi in militiâ literariâ stipendia merentur, & non secus ac ille cum suis hostibus qvotidiè colluctari coguntur & conflictari. Nec enim ægrè ferunt, si qvi in ipsorum vitam, studia, mores & labores candidè inqvirant, deq; ipsis dextrè judicent, sed potius impensè sibi gratulantur, si suæ diligentiæ speculatores, inspectores & approbatores nanciscantur, illosq; non sine promtissimæ voluntatis & singularis affectionis significatione dimittunt. Nempè, Virtus cognosci gaudet & cõmendari, neq; unqvam facta laudabilia celari possunt, aut etiã latibula vel antrũ Trophonii qværere. Nec nos hîc qværemus illa, sed vitæ institutiq; nostri sive speculatores sive spectatores facilè admittemus, & omnia ita disponemus, ut de Spartâ nostrâ non ita pridem publica, Magnifici, Nobilissimi, & Inclyti hujus laudatissimæ urbis Senatus autoritate commissa, Deo & Magistratui nostro rationes intrepidè & expeditè reddere qveamus. Ita verò Lectiones nostras, approbantibus idipsis Scholarum Vratislaviensium Præsidibus meritissimis, ordinavimus & disposuimus, ut per triennium omnes Philosophiæ partes, unà cum locis Theologicis, ut & cum Lingvis, Latina, Græca, & Hebraica, Methodicè & ἐυλάκλως pertractentur & explicentur, pròponantnr & exponantur. Cuius nostri instituti & consilii σκιαγραφίαν, sive ὑποτύπωσιν designatio lectionum generalis ὀφθαλμοφανῶς exhibebit, & qvid à qvovis primi ordinis Professore expectandum sit & impetrandum, clarius edocebit. Ego pro meo talento die Solis hora 7. COMPENDIUM Theologicum ex ipsis fontibus sacris, ut & Ecclesiarum nostrarum γνησίως Lutheranarum Confessionibus publicis, & Theologis probatissimis collectum, & μεθοδικῶς conscriptum meis communicabo, & qvomodo pro Theologiæ systemate Loci communes constituendi sint, ostendam. Die Martis & Mercurii hora 9. DIALECTICAM Philippi unà cum Neotericorũ cuivis Capit. subjectis & collatis præceptis inculcabo. Die Veneris hora 9. PHYSICAM. Eodem die hora 3. extraordinariè ETHICAM σὺν θεῷ docebo, & unicè id agam, ut Discipuli nostri, modo mediocrem lingvæ Latinæ supellectilem ad nos attulerint, in artibus humanioribus & studio Theologico per triennium hoc ita informentur, ut ad Academias, Scholasq; publicas cum laude & magno suo fructu transmitti possint & ablegari.

Tu modò, summe Deus, præsentibus annue cœptis,
discentesq; manu prosperiore rege,
Mentibus ut promtis qvæ docta aut dicta parati
accipiant, faciliq; aure petenda bibant.

Sic nomen numenq; tuum laudesq; sonabunt,
qvi gaudent dici nomine, CHRISTE, tuo.

P. P. Wratislaviæ xxx. Octob. stylonovo Anni MDCXVI.

13
50.
84006/13